obiecti amabilis.

amoris humani natura in obiecto amabili postulat, est, vt sit bonum perfectum, nullaque mali

I. Conditio.

mixtione, aut boni defectu corruptum: hinc fit, vt nihil sit amabile præter bonum, neque quicquam sit bonum, quod non sit amabile, adeoùt bonum, & amabile reciprocentur. In hoc autem obiecto, quod verè bonum est, amandi potentia quiescere, & perfectè delectari debet; quapropter illud non est verum, & perfectum illius obiectum, in quo perfectè quiescere nequit, sed etiánum aliquid supereſt, quod eam torquet, & affligit, quodque meritò displiceat amanti; tunc autem maximè torquetur amans, quando defectus in obiecto existens tolli nequit.

2. Conditio.

Secunda proprietas est, vt sit ipso amante perfectius, atque melius, cùm enim amor quodammodo mutet amantem in rem amatam, & omnis mutatio, quæ non fit in rem meliorē, contra naturam, aut eius intentionem esse videatur, contra naturam agere videbitur, qui amore suo in rem feretur, quæ non sit eo melior: nam amor ille vanus, & inutilis videri poterit. Videat Atheus, an sit aliquid subiectum oculis, in quod transmutari vellet. Nūquid rogatus ille statim fatebitur se maximè velle transformari in aliquid, quod nullo ampliùs indigeret, sibique ipsi sufficeret? quodque nihil contineat, quod displicere possit, & nihil in eo boni desiderandum supersit, quale debet esse obiectum amoris nostri, qui cùm spiritualis sit, quemadmodum & potentia amandi. & ipsa anima, debet etiam habere spirituale obiectum, non corporeum.

Caue ne hinc concludas animā hominis esse mortalem, siquidem in nihilum eo sensu tendit, quia cū non sit à se, reuera in nihilum reuerteretur, nisi ab autore suo cōseruaretur. Præclara, & subtilis philosophia.

Cùm autem amans homo semper esse desideret, nec tamen ex se semper esse possit, quia non satis à nihilo distat, quandoquidem inter duplex non esse cōcluditur, videlicet inter nihilum, ex quo factus est, & nihilum in quod reuerti potest, quod duplex non esse ei ita dominatur eumque ita premit, vt ab eius tyrannide sese liberare nequeat; obiectum potentiæ, qua diligit, debet à nihilo maximè abesse, nec vlli non esse subijci, vt ex se sit semper, alioquin amor ille, quo amans obiectum suum semper esse desiderat, vanus esset, & inutilis, cùm obiecto suo sempiternum esse tribuere nequeat: ideoque necessarium est, vt obiectum, antequam ab homine ametur, illud esse suum æternum habeat, quod neque à non esse, neque vllo modo destrui possit, quódque à nullo pendeat, sed à quo potiùs omnia dependeant; id enim amor hominis præcipuus desiderat, vt nullū bonum, nulla perfectio, desit obiecto in quod, velut in finēvltimū tēdit, in quo si qui defectus forent, amanté ex æquo torquerent, ac ipsius amantis defectus personales, cùm in amatum ita transformetur, vt idem cum eo velle, idemque nolle habeat. Hinc fit, vt natura, quæ non deficit in necessariis, vnicuique potentiæ prouiderit obiectum, in quo nullus næuus esset, & in quo perfectè vnaquæque quiesceret. Igitur potentiæ hominis amatiuæ prouideri debuit obiectum omnes proprietates habens, quas amor noster in eo requirit, alioquin hæc potentia, & eius actus frustra essent, torqueretur enim animus hominis, si nullum obiectum inueniri posset, quale requirit. Præterea perfectiones omnes obiecti sui in summo gradu esse postulat, quæ si essent diminutæ, & imperfectiores, doleret, quòd ei perfectiores tribuere nequiret: sed luce meridiana clarius est Deum nostrum, qualem nos Catholici credimus, hæc omnia habere, & neminem præter eū, igitur ex potentia amādi nostra rectissimè infertur Deum esse necessariò necessarium; cuius ope, & vnione, parua entitas, parua vita, & intelligentia hominis, tam parum à nihilo, & non esse distans, ad maximam entitatem, vitam optimam, & perfectissimam intelligentiam perueniat. Hactenus autem satis probatum est Deum necessariò admittendum esse, satisque patet ex dictis, quænam conditiones huic amabili obiecto conueniant, quas tamen breuiter recitabo, vt eadem veritas magis ac magis confirmetur.

3. Obiecti amoris proprietas, summum bonum esse debet.

Tertia igitur illius obiecti proprietas est, vt non solùm sit amante nobilius, verum etiam summum bonum, & ex omni parte beatum, ne amans, quando mutabitur in obiectum amatum, vel in eo bonum aliquod vlterius poni, vel aliquem ex eo tolli defectum expetat, & sic inquieto sit animo, diuexetur, atque torqueatur. Quod si obiectum ipsum beatum sit, debet se cognoscere, & gaudio affici, quis enim aliquem beatum esse dixerit, qui non sit summè sapiens, qui nulla lætitia afficiatur? & hæc est quarta obiecti nostri proprietas.

5. Cognosci debet.

Quinta se potiùs ex amantis parte tenet, videlicet obiectum illud ab amante debere cognosci, cùm incognitum non ametur: ita tamen, vt obiectum, non solùm, vt est ens, sed vt est amabile, cognoscat; est autem præsertim amabile, prout in eo reperitur summa potentia, sapientia, & bonitas ita connexa, vt vna non sit sine alia, & quælibet, in qualibet reperiatur: nec enim potentia est amabilis, nisi bona sit, & sapiens: neque sapientia, nisi sit potens, & bona, neque bonitas, nisi potens, & sapiens fuerit, quid enim est bonitas impotens, & stulta: quid potentia insipiens, & mala, quid denique sapientia impotens & mala nunquid odio, non amore habenda? maximè cum hîc de primo, & præcipuo hominis amore verba faciamus.

6. Debet esse æternum.

Sexta conditio est, vt obiectum sit æternum, & immortale, alioqui continuis anguſtiis amans cōflictabitur, quod non ita bene, atque vellet, suo sit obiecto: & dolebit, quod huiuscemodi obiecto destitui debeat, nec enim id sine dolore potest amitti, quod cum amore possidetur, nec possideri sine tristitia, quod certò perdendum possidetur, ideoque talis amor verum gaudium non afferet, quia variis anxietatibus semper afficitur, & veluti spinis configitur, quando sibi relinquendum esse videtur, quod tantopere dilexerat: vel igitur amor nullum obiectum sibi conueniens habet, vel habet æternum, vnde rei cuiuslibet perituræ amor homini nociuus est, quia est cum timore, & sollicitudine; quapropter de rerum perituarum amore poëta cecinit.

Res est solliciti plena timoris amor.

Qui terrena amat furioso similis.

Itaque hominē miserrimum dixero, nisi sui amoris immortale obiectum habeat, adeout non desint, qui hominem caduca primariò amantē furioso, & rabie percito conferant, qui dentibus in seipsum desæuit, quem ideo ferreis catenis adstringimus, nam omnia sibiipsi mala procreat, & infert, quæ ex illo rerum mortalium amore nascuntur, timorem, angorem, sollicitudinem, &c.

7. Infinitæ perfectionis esse debet.

Septima proprietas est, vt sit obiectum infinitæ bonitatis, vt in eo potentia quiescat, ne deinceps moueatur ampliùs, maius bonum optando, & quę rendo, vel defectuum in obiecto existentium priuationem expetendo: donec enim appetitus noster obuium habebit obiectum finitum, alicui imperfectioni immixtum, vel aliquo bono carens, nunquam